



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

561. Pro quo tempore, & quo tempore debeatur, & solvenda sit pensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

rum ac dierum ab ultimo termino aliàs maturato usque ad obitum pensionarii. Atque ita, manendo in præmissis exemplo pensionarii mortui in Februario transmitti ad hæredes terminum Nativitatis Domini, & præterea pro rata temporis decursum à die Natalis Domini ad diem Februarii, quò obiit pensionarius. Fundamentum hujus sententiæ ex eo peti, ait Tond. *loc. cit. n. 6.* quòd pensionarius ex constitutione Pii V. teneatur recitare officium B. Virginis, & per consequens ei acquiri debeat pensio pro rata vita pensionarii, quâ durante is officium illud recitavit, maximè, cum pensiones istæ sint ad instar alimentorum, quæ debentur ad ratam tēporis, quo vita alimentarii duravit. Porro his lux aliqua amplior affunderur ex *dicendis quasi. seq.* Reflectendum autem hic ad diversitatem, quæ est inter fructus civiles, ut sunt census pecuniarii, locagia adium &c. & inter fructus naturales, qualiter nimirum & quando hi & illi debeantur titulari, & quòd hinc dependet, qualiter hi & isti inter defuncti titularis hæredes & successorem in beneficio dividendi, de quo dictum aliàs, & videri poterit *Lott. loc. cit. à n. 22.*

2. De cetero, dum pensio cessavit, non per actum necessarium, nempe per mortem pensionarii, sed per actum voluntarium, puta per translationem ante maturitatem termini, totam pensionem ad cessionarium seu translatarium pertinere, & transferentem sibi nihil servasse, tradit Tond. *loc. cit. n. 5.* ex mente Rotæ. sic terminum proximum in hoc casu spectare ad translatarium, nisi transferens reservaret sibi fructus præteritos, tradit Gabr. *cons. 191. l. 2.* apud Garc. *loc. cit. n. 112.* Dividendum verò pro rata temporis, tradit Rota & Covar. apud eund. Garciam, quem vide.

Questio 561. Pro quo tempore, & quo tempore debeat, & solvenda pensio?

1. **R**espondeo primo: Supposito juxta dicta, solutionem pensionis faciendam, habito respectu & consideratione ratæ fructuum perceptorum, non autem temporis decursi argumento *l. defuncti. ff. de usufruct.* secundum quam, ut ait Ventrigl. *cit. §. 1. n. 1.* regulare se solet Rota in materia solutionis pensionis; pensionem annuam deberi ab initio anni, qui non à calendis Januarii, neque à tempore, quo natura jam exonerata fructibus maturatis & collectis incipit novos concipere, sed inchoatur ab eo momento, quo reservatur pensio; assignatur siquidem pensio cum consensu partium, post quem consensum illico nascitur obligatio, ex qua oritur actio: exactio autem sola est, quæ differtur ad tempus, de quo conventum fuit inter partes, & sic semper attenditur hoc anni initium, & ex eo intelligitur pensio debita. *Lott. l. 1. q. 44. n. 1. juncto n. 4.*

2. Respondeo secundò: Reservatur autem pensio regulariter solvenda in duobus terminis seu semeltribus, v. g. festo Nativitatis S. Joannis, & festo Nativitatis Christi, qui termini non ex alia causa statuuntur, quam dividendi pensionem aliàs solidam, & ad nudam commodioremque solutionis præstationem, & non, quòd propterea debeat attendi ratio temporis, ut inde dignoscatur quanta portio pensionis competat pensionario. Ventrigl. *loc. cit. n. 2.* *Lott. loc. cit. n. 3.*

3. Respondeo tertio: Factâ hac divisione terminorum in gratiam debitoris seu titularis, atten-

dendum, num primus terminus per eum solvendus cadat eo tempore, quo possit percipere seu percipisse fructus, super quibus pensio imposita, ut si jam dictos fructus percipit eo termino, pensio seu potius illa prima solutio dicatur posticipata; aliàs, si non percipit adhuc fructus, eò quòd hi tunc necdum maturati, dicatur pensio posticipata, relata v. h. harum binarum vocum ad ipsam fructuum perceptionem. *Lott. loc. cit. n. 5.* citans Gratian. *discep. for. c. 548. nu. 47. & 48.* & Rotam in *Monopolitan. pens. 10. April. 1606.* Ventrigl. *loc. cit. nu. 6.* Porro subjungit *Lott. n. 6.* Papam ut plurimum nullâ habitâ ratione perceptionis fructuum, decernere anticipatè solvi pensiones, & sic si à die reservationis usque ad diem primi termini seu semeltris nulli adhuc potuissent colligi fructus, aperte credendum est, pensionem esse anticipatam, & Papam voluisse anticipatè solvi à beneficiario ex proprio, habitâ consideratione ad fructus colligendos. Ventrigl. *cit. nu. 6.* Unde subsistere non videtur, quòd tradit *Parif. l. 1. q. 8. n. 52.* quòd, si beneficiarius gravatus pensione, cui pro primo termino statutum est festum Nativitatis S. Joannis, ceperit possessionem in Majo antecedente illud festum, & sic fructus adhuc nullos perciperit, non teneatur illo termino solvere pensionem, sed is, qui percipit fructus illius anni. Hic iterum reflectendum ad fructus civiles, qui dierum singulis horis & momentis maturantur & percipiuntur.

Questio 562. Vbi, seu in quo loco solvenda pensio?

1. **R**espondeo, non factâ aliâ declaratione solutionis pensionis fieri debet, non in loco, in quo degit pensionarius, sed in loco beneficii, & ubi fructus ipsi percipiuntur. *Lott. l. 1. q. 39. n. 86.* citans *Oldr. cons. 168. nu. 1.* *Gamb. de pot. leg. l. 6. q. 27. nu. 612.* Rotam *decif. 688. p. 4. recent.* *Corrad. pr. benef. l. 5. c. 7. n. 15.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 51.* *Parif. l. 6. q. 2. nu. 137.* *Castrop. de benef. l. 1. p. 11. §. 6. n. 8.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 233.* Ratio est, quòd pensio solvenda ex fructibus beneficii, cuiusque illis impositum, AA. *ijdem.* Hinc jam inolevit usus & stylus Curia, ut unâ cum terminis solutionis in literis reservationis assignetur & locus, *Lott. Parif. loc. cit. Corrad. loc. cit. num. 17.* dicens, nunquam aut rarò Cancellariam, aut Cameram Apostolicam permittere transire has literas sine destinatione loci solutionis faciendæ, & quidem ubi, vel quem partes volunt. *Corrad. ibid. citato Gamb. de pot. leg. l. 6. n. 612.*

2. Quòd, si pensionarius aut ejus procurator non esset in loco destinata solutionis tempore statuto, pensionem debens non est in mora aut culpa, adeò que nullam penam non solventium pensionem incurrit. *Castrop. loc. cit. Garc. n. 233.* *Corrad. n. 18.* ex *Bartho. in l. item illa. ff. de constit. pecun. dicente, creditorem debere esse paratum ad recipiendam pecuniam in loco solutionis destinato, ad hoc, ut debitor penam incurrat.* Neque in hoc casu ad evitandam penam obligatus est debitor ibidem facere depositum pecuniæ seu pensionis debitæ. *Corrad. loc. cit. n. 18.* dicens, quòd in contrarium tradit *Barthol. in l. si res paratus. ff. de procur. id intelligendum de casibus, ubi jus expresse vult talem signationem fieri, ut puta, ad impediendum cultum usurarium.* Quòd ipsum eund. tradit *Garc. loc. cit. n. 234.* subieci tamen *n. 235.* ad effectum